

de In genere, duplex ordo concipi potest: aut enim ex magis particularibus maximeque theologicis incipitur ut postea ad generaliora procedatur; et sic primo de operationibus circa ipsum Deum, deinde operationibus circa ea quae supernaturaliter ad Deum referuntur, tertio de operationibus quae nisi remote theologiam tangere non videntur, uti sunt quae ad theologiam uti sapientia est respiciunt.

ad Sed alio etiam modo procedi posset, ut incipiatur a maxime generalibus quae sunt tum ipsi theologiae tum scientiis affinibus communia sunt, deinde de iis quae solam theologiam pertinent.

Et nobis quidem videtur hoc secundo modo procedendum esse, et duplici maxime de causa.

Primo, quia magis particularia supponunt generaliora. Quam ob causam, si a particularioribus inciperetur, ea quae magis sunt fundamentalia in ipsis particularibus non intelligerentur.

Deinde, quia quaerimus non de methodo theologica prout olim sed prout hodie esse convenit. Iam vero quaestiones methodologicae et hodiernae originem suam ducunt, non tam ex ipsa interna theologiae evolutione, quam ex influxu quem in theologiam exercent tum philosophiae recentiores tum scientiae humanae.

Quae enim in c. Vaticano de fide et ratione determinata sunt, quae in litt. encycl. Aeterni Patris de renovanda ~~in~~ philosophia thomistica proposita sunt, ortum suum habent partim ex traditionalismo et fideismo quodam gallico, partim ex Kantianismo et idealismo germanicis (Hermes, Günther, Frohschammer, Rosmini).

Quae deinde contra modernismum statuta sunt, quae per constitutionem apostolicam, Deus scientiarum Dominus, et litt. encycl., Divino afflante Spiritu, introducta sunt, quae iterum in litt. encycl. Humani generis damnata sunt, omnia originem quodammodo ducunt sive ex falsis philosophiis excludendis sive ex scientiis humanis recentius ortis et bene utendis.

Quare, ad quaestionem theologiam methodologicam et hodiernam proponendam, incipiendum esse duximus ex problematica quadam generali quae res humanas in genere respicit, unde postea campum restringentes ad ea quae theologiam non ut sapientiam sed ut scientiam respiciunt tum clarius tum intra contextum pleniorum tractemus.